

109 109  
Q. F. F. Q. S.  
APHORISMI PHILOSOPHICI,  
DE  
JURIBVS  
PRINCIPIS  
QVI  
IMPERIO  
SE  
ABDICAVERIT;

QVOS,

*Venia ampliff. Senat. Acad. in illustri ad Auram Lyceo,*

PRÆSIDE,

U. Cl.

D<sup>N</sup>. ALGOTHO A.  
SCARIN,

Histor. & Philosoph. Civil. PROFESS. Reg. & Ord.

PRO GRADU,

*Publice ventilandos sistet*

REGIUS STIPENDIARIUS

JACOB CHYTRÆUS

ABOÆ-FENNO.

Die *xxxx* Junii A:o MDCCXLVIII.

L. H. Q. S.

ABOÆ, Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.



APHORISMUS I.

**C**ecutiens mortalium conditio, illis tæpe, quæ in sensus incurrunt, adeo in transversum agitur, ut nihil beatius, nihil iucundius esse ducant plurimi, quam facultate aliorum actiones ad libitum determinandi, esse sublimem. Ast quantum a vero aberret hæcce opinio, quibus circa corticem hærare dulce non est, facile perspiciunt. Et nisi omnia me fallant, si qui alii, civitatum certe rectores, experientia magistra didicerunt, imperium nihil aliud esse nisi servitutem splendidam, ipsosque semet aliis interveniendo quamvis lente, incessanter tamen depascere. Hinc plena in propatulo vetustas adest principum & dominorum non paucorum, qui rationes ob alias atque alias, imperio prætulere sortem privatam, vitæque molestæ, non inertem vacationem. Quod ipsum cum civibus saluti modo fuerit emolumentoque, iterum, re aliter comparata, non levi nocumento, quis mirabitur in divortia sententiarum, circa moralitatem istius negotii discessisse philosophiæ civilis doctores? quorum sententias sigillatim ut recensamus, proposita prohibet brevitatis. Quod ad rem ipsam,

ipsam, Principem in genere omnem obligatum esse, qui salutem civium omni studio promoveat, omnes ad unum consentiunt. Exinde verò pronò deduci posse alveo, eundem neque abdicare posse civitatem, ubi illam periclitari viderit, nulli non patet. Ubi autem hac in parte nihil metuendum fuerit periculi, rationem non videmus, quin iuste & illæsa conscientia fasces idem etiam deponere poterit. Non negamus, ipsum inter & cives pactum intercedere, quo obligatur ad salutem civitatis, sui ipsius præferendam; verum illud ipsum, conditionem ad dies vitæ involvere, nisi expressis cautum fuerit verbis, admodum dubitamus. Ut autem consensu populi resignatio fiat, ipsa pactorum postulat indoles, quippe quæ citra mutuam dissensum dissolvi non possunt. Nunquam tamen Principem cogere possunt cives ut imperium retineat. Eo enim ausu, superioritatem quandam in illum iniuste sibi arrogare velle viderentur. Quod si verum est, minus adhuc ubi in eas redigitur angustias Princeps, ut executio pacti, quod ipsum inter & cives intercedit, vel physice vel moraliter ipsi reddatur impossibilis, abdicationem prohibuerit quisquam, nisi qui obligationem ad impossibilia dari, asserere non fuerit veritus.

APHOR. II.

**E**st vocabulum juris πολύσημον. Nobis denotat facultatem non solum agendi, verum officia quædam ab aliis postulandi potestatem etiam, eamque lege fundatam. Princeps igitur, ubi imperium

4  
perium deposuit, eo ipso simul omnia amisit iura, quæ illud comitantur & majestatica communiter dici soverunt. Non tamen ad subjectionem civilem deprimi posse censendus est; illa enim derivari non potest, nisi a consensu in alterius imperiū. Qui cum ex ipso resignationis actu, neutiquam exculpi possit, unde quælo deduci poterit, ipsum, qui semper antea libertate gavissus est naturali, citra ullum suum factum eandem in præsentis articulo amisisse? Nulli igitur ad rationem actionum suarum reddendam est obstrictus, & sive in ea civitate manserit, ubi antea falces tenuit, sive in aliam quamcunque transferit, juribus illis, quæ a natura hominis rationali & sociali divelli nesciunt, ubique fruitur, quamdiu quæ divini juris sunt officia, ipse præstare adnititur.

APHOR. III.

Qui contrariam sovent sententiam, præcipue urgere solent, notionem societatis civilis non permittere, ut quisquam in ea concipi possit, qui vel imperans non sit, vel civis. Cum igitur Princeps deposito imperio, imperantis loco amplius haberi nequeat, in eorum numerum, quibus obsequii gloria est relicta, eundem referendum esse censent. In majorem assertionis suæ fidem, citare etiam solent Grotium, qui de J. B. & P. L. I. Cap. IV. §. 9. hæc habet: *Si Rex, aut alius quis imperium abdicavit, aut manifeste habet pro derelicto, in eum post id tempus omnia licent, quæ in privatum.* Verum si adeo stricte sumatur vox, sive societatis sive civitatis, ut  
alios

5  
alios non includat quam imperantem & subditos, de ea civitate *Principem*, qui imperium deposuit, esse, nos neque dixerimus. Verum latiori sensu etiam haud raro accipitur civitas, ita ut omnes includat, qui quidem in territorio ipsius versantur. Quo quidem in casu absolute necessarium non est, ut vel ad imperantes vel parentes referantur singuli. alioquin enim legati ab exteris principibus missi, imperiū Principis, in cujus territorio degunt, agnoscere tenerentur etiam; quod tamen adversariorum ægre quisquam, imperanti ad quem divertunt, concesserit. Ad Grotium quod attinet, is dicto capite explicare adnititur, in quibus casibus inferiores adversus superiores licite bellum gerant. Hinc ejus sententia esse videtur, cives adversus Principem, qui falces imperii deposuit, cæteris paribus, citra ullam criminis læsæ Majestatis notam, bellum gerere posse. Quantum iam præsidii dissentientibus ex effato Grotii sit, quisque facile videt.

APHOR. IV.

Officia socialitatis, ubicunque fuerit, postulare & jure omni quoque capeßere posse Principem, supra dictum. Verum cum intuitu istorum illæsus quidem maneat; ast, ut alii perfectiones ipsius, quæ civitatis sunt, promoveant, citra interveniens pactum jure perfecto postulare non possit: patet facile minus jucundam eum acturum fore vitam, nisi etiam de illis rebus ipsi prospiciatur, quæ ad civiliter, h. e. decore & commode vivendum faciunt. Ejuscemuneris præstationem in cujus humeros

meros majori jure, quis devolvi posse existimaverit, quam in ipsorum, qui olim ejus cives fuerint? Quorum enim saluti antea suam consecravit operam; hi jam ut ipsum extra terminos humanitatis arceant, & sine auxilio derelinquant, minime æquum est. Maxime, quum grati animi officium id privatim quoque postulet, ut illorum, qui beneficiis nos auxerunt, sortem quam felicissimam esse studeamus. Intenditur illud juris vinculum, ubi Principes solum relicturi, certos redditus, certam mansionis sedem, aliaque necessaria sibi stipulati fuerint, eaque semet præstituros cives non inviti promiserint; cujus quidem facti exempla in annalibus passim occurrunt. Hoc enim in casu pactum inter cives & Principem percussum est, quod nisi servare voluerint illi, malis, quæ justæ coactionis sunt, eos urgere poterit, donec plene sibi fuerit satisfactum.

## APHOR. V.

**C**onsistit honor in actionibus, quibus significamus, nos per ipsos esse perfectiones alias atque alias alteri competere. Nemo autem inficias ire potest, personas regno natas accommodatasque, eminentia quadam super cæteros esse sublimes. Sacras & inviolabiles esse easdem, etiam ipsi barbari agnoscunt. Et licet sceptrum deposuerint, variis tamen eos adhuc gaudere privilegiis, ut ipse rerum una cum jure contentit. Quis igitur non videt obligatos esse cives, qui debitum honorem ipsis tribuant. Accedit, quod dum rerum po-

titus

titus est Princeps, varia beneficia ipsis præstiterit civibus, quæ ut grata mente hi agnoscant, æquum est, venerationemque externis testentur actibus. Dixi usu ipso, hoc est gentium moribus & institutis consecrari hunc actum. Etenim si annales consulere voluerimus, tantum non omnes, qui solio abierunt Principes, præsertim vero recentioribus temporibus, iisdem prope honoribus cultos deprehendimus, quibus cum sceptrum tenuerunt affecti & decorati fuerunt. Sic locus, quam qui regni magnatibus, honoratior, titulus Regiæ Majestatis aut celsitudinis, Ducalis serenitatis, supplicationes publicæ &c. ipsis tribui solent. Quæ cum momenta popularis judicii, totidem monumenta sint pietatis durantis, certe non obsolescentis, tantum abest, ut inter vanas & inutiles ceremonias apparatus idem rejiciendus sit, ut potius nisi partibus suis deesse velint cives, ab ipsis intermitteri nullo modo possit.

## APHOR. VI.

**A**lia est quæstio: num titulum regni ejusdemque insignia retinere integrum sit Principi, qui imperio se abdicavit? Optimum factu esse arbitramur, si ea de re inter Principem imperio abeuntem ejusdemque successorem vel cives solenniter fuerit transactum, ut sic omnis ansa litibus in posterum oriundis præcidatur. Ubi vero hoc fuerit omissum, quid statuendum sit, difficilius est dictu. Tituli & insignia nihil aliud sunt quam signa, quæ innuere debent potestatem, quam exercet Imperans

8  
rans in sibi subiectos, & facultatem ejusdem, illos in confessu gentium repræsentandi. Cum autem signum, quod in Principe regnante est demonstrativum, in illo, qui solio descendit, esse possit rememorativum; prout idem *ILLI* primario competit, ita neque aliquid absurdi involvere videtur, si *HIC* in symbolum pristinæ dignitatis titulo & insignibus regni utatur. Non ignoramus eorum usurpationem interdum accipi instar prætensionis cujusdam in ipsum regnum, cui sigillatim competunt. Verum inde hoc in casu tanto minus esse potest periculi, quanto certius est, ipsas resignationis tabulas facile quemlibet convincere posse, hic non illam rem agi, verum omnia fieri eum in finem, ut sic quidem dignitati ipsius Principis, qualicunque ratione consulatur.

*APHOR. VII.*

**Q**uid juris Principi post abdicationem in ministros, vel alios, qui adhuc ipsi manent subiecti, competat, jam paucis dispiciendum. Ubi circa ipsam resignationem hac de re fuerit transactum, quin pacto convento illo quoque standum sit, nullum est dubium. Ubi vero hoc factum non est, licet nulli ad rationem actionum suarum reddendam sit obstructus Princeps, qui imperium deposuit, eas tamen pro lubitu instituere haud poterit. Quicumque enim statum ejus paulo curatius fuerit contemplatus, ipsi mox patebit, obligatum eum esse, qui omni studio caveat, ne sic de ditione sibi subiecta disponat, ut illud iptum  
in

9  
in damnum civitatis vergat, quo facto totam lædere civitatem eidemque injuriam facere velle dicendus esset; læderet non ipsum minus principem, qui hodie cum imperio est, si quoddam jus majestaticorum exercitium sibi arrogaret. Hinc neque novas potest condere leges, neque nova imperare tributa, verum omnia in eo statu relinquat oportet, in quo antequam in ipsius potestatem civitas concessit, membra ejusdem constituta fuerunt. Non tamen ipsi denegandum est jus aulæ ministros constituendi, qui ipsius nomine agros vectigales & vitalitios censeant, pensionesque annuas eorum, in fiscum referant. Quin, ne dignitatis ejus nulla prorsus ratio haberi videatur, jus tot armatos alendi, quor ad custodiam corporis sufficiunt, ipsi adsignandum arbitramur. Imo si civium ipsi subiectorum aliquis, modo quocunque eum læserit, leviores etiam infligendi poenas habet facultatem; jus vero vitæ & necis, nisi ex pacto, legumque solenni præscripto, sibi arrogare non potest, quoniam illud est inter jura majestatica, quæ omnia in resignatione amisit. multo minus ditionem sibi subiectam vel partem ejus abalienare potest. Etenim usufructuario jure eandem possidet saltem; quo nomine cum egere ipse desinit, ad rempublicam postliminio illa quoque reverti est censenda.

*APHOR. VIII.*

**S**i jus gentium absolutum spectes, ratio quare legatos  
B

gatos invicem mittant & admittant Imperantes, est, ut instituto invicem observato illo, commoda utrinque promovere, magis commode tutoque possint civitates. Si vero ulum inter gentes receptum intueri volupe fuerit, etiam alium eundemque longe diversissimum sæpe scopum intendere eos, qui legatos mittunt, facile deprehendimus. Interim hos non difficulter admitti solere, modo litteris, credentialibus vulgo dictis, te a Principe tuo ad negotia ipsius nomine procuranda missos, evictum dare potuerint, usus & disciplina civitatum tantum non omnium, palam loquitur. Omnes autem recensere causas, quare legati mitti soleant, nostri non est instituti; sufficiat adnotasse, jam ad congratulandum ob res prosperas, jam ad condolendum ob adversas, haud raro mitti eosdem. Quod quidem jus si huiuscemodi & similibus in casibus Principi, qui falces imperii deposuit, vindicaverimus, neminem magnopere nobis adversaturum fore speramus. In illo enim articulo, in ipsarum reipublicæ administrationem, is se non ingerit, quare neque in jura Majestatica involasse dici potest. Quid? quod etiam factu possibile sit, ut huiuscemodi Principum legati, paci inter gentes beligerantes conciliandæ, utilem indentidem navare possint operam. Instituti provehendi illius intuitu, dandæ & decernendæ legationis jus Principi nostro, quis sine injuria derogare potest? Contra illud, quod fas fuerit, agere, tanto minus ille censendus est, quan-

quanto ex historiarum monumentis plus satis constet, legatos a Principibus, qui majestatem imperii deposuerunt, non solum missos fuisse, verum eosdem ab illis quorum, intererat, non ægre quoque admissos. Imperantes autem per facta sæpius repetita non minus, quam si expressis verbis voluntatem declaraverint, obligationem contrahere posse, juris gentium, quod hypotheticum dici solet, solennis formula est. Si igitur unius Principis, qui imperio se abdicavit, legatum admiserint, quominus cæteris paribus, etiam ab alio quopiam missum recipiant, in contrarium nihil obtendere possunt.

## APHOR. IX.

**U**bi quis alterius jura violare fuerit ausus, nihil obstat quominus lædentem, qui innocens fuerit, malis vicissim urgeat, donec satisfactionem obtinuerit, & securitati suæ in futurum, quantum satis est, consuluerit. Princeps si civitatem, cui antea præfuit, ejusque securitatem & tranquillitatem quovis modo perturbare fuerit adgressus, eundem dignationis suæ statum egredi, officiorumque quæ socialitatis sunt atque civitatis, ipsum semet exortem tacere, manifesto apparet. Cives igitur, ubi argumentis certis & irrefragabilibus de pristini regis instituto non inficiando illo, convicti fuerint, asperiora quædam remedia adversus ipsum adhibere poterunt, nisi ausis ipse suis in tempore desistat. Hoc in casu, tanto minus sunt obligati, ad ea

ea quæ supra enumeravimus ipsi præstanda, quanto absurdus foret postulare, ut quis inimicum professum beneficiis cumulare vellet. Immo finibus civitatis eicere eundem poterunt, si ad saniora consilia, tranquillo modo nullo, adduci possit. Denique si perspexerint illum quævis mala, etiam extra civitatem machinari, ipsisque directe vel indirecte inferre velle, sine ulla injustitiæ nota in illum statum, unde amplius nocere non possit, detrudere possunt. Verum officiorum detrectatione pristinorum magis, quam violenta armorum oppositione innocentiam defensione istâ defungi oportet. *Sententia magis utendum quam gladio.* Certe religioni sibi ducere debet civium quisque, cruentare manus ejus sanguine, cui olim arctissimo & sanctissimo vinculo fuerint obstricti. Jure gaudere ipsos sese defendendi cum commode fieri possit, nemo negaverit, at peccatum in principe olim tuo vindicandi, aut puniendi jus civibus competere, non temere quisquam contulerit. Interim providere oportet Principem talem, ne consilio non satis cocto ejusmodi, præjudicium aliquod inviolabilitati non ipsius modo, sed & cæteris potestatibus nocivum, eorum quorum interest sensibus, sese insinuet & demum invalescat.

SOLI DEO GLORIA.

